

Zeitschrift: Museum Helveticum ad iuvandas literas in publicos usus apertum
Band: - (1751)
Heft: 23

Artikel: Eliae Betrandi [...] praelectio theologica de foedere Dei cum Abrahamo facto : in Gen. XVII: 7.8.9.10
Autor: Betrand, Elie
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394705>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 15.10.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

ELIÆ BERTRANDI

V. D. M. & Eccl. Gallicæ Bernensis Pastoris

PRÆLECTIO THEOLOGICA

de

FOEDERE DEI

cum ABRAHAMO factō.

In

Gen. XVII: 7. 8. 9. 10.

Speciminis loco pro vacua in Academia Lausan-
nensi Cathedra habita, Bernæ, die tertio

Febr. MDCCLI.

In majori Theologiæ acroaterio.

QUOTIESCUNQUE vias Dei, quibus sa-
pientiam, atque gratiam suam, inde a
mundi creatione ad hunc usque diem,
pro labentibus temporum periodis, manife-
stavit, intueor, ego mihi conspiciere videor tabulam a
peri,

peritissimo pictore elaboratam, in qua, post primas tantum lineas descriptas, paulatim magis magisque pro arbitrio mentem suam maxima penicilli arte expressit. Tabulam hanc Deus ter Optimus Maximus in creatione describere primum cœpit, cum ea, quæ ab æterno decreverat, solo voluntatis nutu ad existentiam perduxit, hunc videlicet mundum, divinarum perfectionum patentissimum, splendidissimumque theatrum, ut esset suæ gloriæ specimen, & Ecclesiæ domicilium. Habitorem terræ constituit Deus Adamum, ad imaginem suam conditum, sapienti, rectaque voluntate donatum, verum labilem. Non diu autem in primæva sua integritate permansit novus hic orbis terrarum incola: Perdita per esum fructus prohibiti sua innocentia, eheu quantum malum! Protoplastæ una cum tota prosapia Dei osores, mortis candidati & victimæ nil miserantis orci, ejeti inde ex horto deliciarum, exules a facie Dei facti sunt. O tristem, deplorabundamque sortem! Sed noluit Creator summe misericors Adamum cum suis posteris absque solamine terram colere ingratam. Hinc pro æterno decreto, atque immensa in genus hominum misericordia, rationem ostendit, qua, ex tanta miseria emerfus, in gratiam rediret, facta promissione de Semine mulieris caput Serpentis contrituro. En fœderis gratiæ per Christum perficiendi stamina, atque fundamenta, quibus omnes innituntur promissiones sequentes; en primam adumbrationem, primasque, quibus Optimum Numen hanc gratiæ tabellam exornavit, lineas! eam auctiorem postea, per labentes temporum periodos, exhibendam,

bendam; usque dum ille nasceretur, qui erat le-
 gis scopus, & omnium promissorum implemen-
 tum. Verumenimvero ad consilii gratiæ execu-
 tionem in hac terra ætates tres constituere Deo
 placuit: Ab Adamo lapsa prima initium habet,
 dum hæres adhuc infans, teste Paulo, duravitque
 ad Mosem usque: Secunda a Mose ad Christum:
 Tertia inde a morte Sospitatoris ad finem Mundi.
 Habet autem prima illa ætas Patriarchalis suas
 quoque epochas, in quibus unigenitus Dei Filius
 ab uno tempore ad aliud luculentius primævam
 explanavit promissionem: prima effluxit ab Ada-
 mo ad Enochum; altera ab Enocho ad diluvium;
 tertia a diluvio usque ad dispersionem postero-
 rum Chami turris Babylonicæ conditorum; quar-
 ta ab hac dispersione ad Abrahamum, cum quo
 Deus fœdus gratiæ pepigit singulare; illudque,
 veteribus promissis denuo illustratis, & dato sigil-
 lo, confirmavit, narrante Mose Genesios capite
 XVII.

MEUM jam est, A. P., hanc fœderis gratiæ
 illustrationem, Abrahamo factam, explicatius
 enodare, illamque *philologicè atque theologicè* expen-
 dere, nec non *veritatem ejus contra dissentientes vin-*
dicare, & ita hunc splendidissimum divinæ mise-
 ricordiæ actum speciminis gratia vobis ob oculos
 ponere. Hæc dum facio benevolas mihi aures a
 vobis promitto.

Præscriptum ideo pensum exequenturi quatuor
 hæc peragemus.

I. generales præmitteremus Observationes circa
 fœdus Abrahamiticum.

II. illius Promissiones exhibebimus.

III. ejusdem Postulata exponemus.

IV. atque tandem ejus Sigillum considerabi-
 mus.

I.

IN PRIMA igitur tractationis parte præmit-
 tendas quasdam Observationes generales necessarium
 ducimus, de variis Dei Apparitionibus Abrahamo
 concessis, de earum modo, de tempore hujus
 apparitionis, in qua fœdus initum est, de personis
 contrahentibus, & de hujus fœderis perennitate,
 atque amplitudine, ex quibus colligi maxime po-
 terit, & pacti hujus præstantia, & quam benigna
 fuerit optimi Numinis voluntas in Abrahamum,
 ejusque posteros. Rem ideo aggredior.

I. Abrahamo *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως* sese
 revelasse Deum constat ex sacris codicibus, quem
 octies saltem illi apparuisse testantur. Jam, vivente
 Patre ejus Tharah, sexto ab Hebero, divino ga-
 visus est alloquio, & jubetur ex patria exire, at-
 que relictis necessitudinibus alio proficisci, singu-
 lari idcirco addita benedictione, ut videre est
 Gen. XII: 1. Iterum apparuit ei Deus prope
 Sichemum ad quercetum Mamre, eumque trans-
 ire jussit ex Haarane in Judæam ejus semini desti-
 natam. Gen. XII: 6. 7. In tertia apparitione
 eandem Deus promissionem repetiit prope Bethel,
 ut describit Moses Gen. XIII: 14. 15. Quarta
 vice ad eum ita loquutus, sicut legitur Gen. XV.

ne timeas, ego sum clypeus tuus, & amplissima merces, promisitque ipsi hæredem futurum; modum licet hætenus non perciperet, quomodo ex corpore Saræ, & sterili, & senecta affecto hæredem habiturus esset, firmiter nihilominus credebat filium mox nasciturum, ex quo quondam Messias oriturus esset, atque illa fides, teste Mose, ei reputata fuit pro justitia. [Gen. XV: 6. Rom. IV: 3. 19. Gal. III: 6.] Facile ex his jam animadvertitis, A. D., quod hætenus Abraham, ad gratiam Dei specialem præ omnibus illius ævi hominibus intime admittus, sanctissimis mysteriis fuerit initiatus: Nunc in quinta apparitione ad tantam eum admittere familiaritatem vult Deus, ut cum eo fœdus pangere exquisitum non dedignetur, benignæ suæ voluntatis erga eum, & ejus profaniam testimonium, hæc narrat Moses hoc capite Gen. XVII; & versiculo 7. ipse Deus ita eum alloquitur, *& stare faciam fœdus meum inter me, & inter te, & inter semen tuum post te, in ætates ipsorum, atque fœdus seculi &c.*

II. Quo autem cunque modo, sive somnio, sive visione extatica, aut reali, atque externa sese revelaverit Deus Abrahamo, tam splendida in omnibus apparitionibus fuit sine dubio Majestatis divinæ ad ejus conscientiam demonstratio, ut eas vir ille pius a malignorum spirituum illusionibus, si quas facere possunt, vel ipsius imaginationis præstigiis, non minus facile distinxerit, quam homini sobrio atque sano facile est a somno secernere vigiliam.

III. Qua vero forma Deus se videndum præbuerit non definitur. Constat id aliquando factum

Cum sub specie humana in futuræ incarnationis præ-
 ludium. Putarunt nonnulli, observante & appro-
 bante STACKHOUSIO, egressam esse vocem ex
Schechinah, quapropter protomartyr Stephanus
gloriam Dei ab Abrahamo conspectam fuisse affir-
 mat [Act. VII: 2.] Nec male etiam rem defi-
 niunt, qui cum BULLO in defensione Fidei Ni-
 cænæ, atque SCHUCKFORDTIO in Historia
 mundi [Tom. I.], aliisque asserunt, plerumque
 eum fuisse Dei filium, varia forma exhibitum:
 Ita ut non tantum fide atque prophetica revelatio-
 ne *viderit diem* Servatoris Abrahamus, sed quoque
 visione reali aut apocalyptica, prout pro-
 bare annisus est CHRIST. AUG. HEUMANNUS
 in Joh. VIII: 56. [Biblioth. Brem. T. I.] Ita
 Christus est *primus & ultimus* Es. XLIV: 6. &
idem heri hodie & in futurum.

IV. Hæc in genere de variis apparitionibus
 Patriarchæ concessis, ad hanc nostram propius
 accessuri observamus statim, sacrum Scriptorem
 ejus epocham, atque ita fœderis initi tempus de-
 finire, cum ait, Abrahamum ad annum ætatis
 XCIX. fuisse tum temporis provectum, anno sci-
 licet mundi, secundum USSERIUM, 2107.; an-
 te Christum, quem respiciebant hæc omnia,
 1897.; decimo tertio post natum Ismaelem anno.
 Illius tamen fœderis initium *quadringentis & triginta*
annis legem datam præcessisse asserit Paulus Gal.
 III: 17. Unde vero sint inchoandi illi anni non
 conveniunt Chronologiæ Scriptores: FRED.
 SPANHEMIUS in Introductione Chronologica ad
 historiam V. T. illos, maxima cum verisimilitu-
 dine, repetit ab anno 78. ætatis Abrahami, quo

Charane est egressus Deo vocante [Gen. XII: 4.]
 quæ vocatio divina præludium jam erat fœderis
 in posterum ineundi.

V. Quid autem per Fœdus Dei cum homine
 sit intelligendum omnibus est notum. Res est Sa-
 cris Scriptoribus familiaris, modum declarationis
 specialis amoris atque misericordiæ Dei, *fœderis*
 nomine nuncupare. Voce ברית utitur Moses,
 quam LXX. Interpretes, omnesque novæ œcono-
 miæ Scriptores, per Διαθήκη transferunt: Quæ
 heic de Dei fœderibus in genere disserere posse-
 mus omnia occupavit Cel. HERM. WITSIUS, Capi-
 te I. eximii operis de *OEconomia fœderum*. Fœdus
 autem illud Abrahamiticum neutiquam est diver-
 sum a fœdere gratiæ mediante Christo initum;
 easdem cum respiciat promissiones, eundem sa-
 lutis auctorem, idemque illius obtinendæ medi-
 um. Illud ipsum fœdus vocat Esajas ברית שלום
 pacis fœdus. [Esaj. LIV: 10.] Fœdus igitur Dei
 cum hominē aliter se habet homines ac inter ip-
 sos. Nam hominum fœdera de mutuis beneficiis
 in utramque partem fœderalem redundantibus
 agunt. At Deus cum Abrahamo atque posteris
 ejus fœdus facit, beneficia promittit, beneficium
 vero nullum accipit; estque nil aliud quam de-
 claratio Abrahamo facta de ratione percipiendi
 amorem divinum, quo, qui fœdus aut promissa
 fide amplectitur, Deum amicum habet, fitque
 hoc pacto gratiæ divinæ particeps in hac vita, &
 vitæ cœlestis, atque beatæ post absolutum in hac
 ærumnosa terra vitæ suæ curriculum.

VI. Par-

VI. Partes heic contrahentes sunt Abrahamus, ut peccator, verum Pater credentium, atque ejus posterum non tantum secundum carnem, sed etiam secundum spiritum, & Deus יְשׁוּׁוּא, ut ipse ab initio hujus capituli sese describit, & quidem prima vice eo nomine se manifestans, quas voces perperam omiserunt LXX., quæ reddi possunt apud Græcos per ἀυείρης, ἄλιμος, vel ἰκαυος, ut AQUILA, SYMMACHUS, & THEODOTIO verterunt, referente HIERONYMO in Caput I. Ezech. Ita PLATO Numen appellavit ἀνευδὴν, nullius rei indigum; sic & LUCRETIVS.

Ipsa suis contenta opibus, non indiga nostris.

Plures יְשׁוּׁוּא deducunt a יְשׁוּׁוּא *mamma*; unde Ethnici Dianam, Cererem, atque Isidem πολυμᾶμια *mammofam* dixerunt vel *multimammiam*, quoniam omnium viventium Nutrix Divinitas est. Hoc autem epitheto convenientissime usus est Deus, ut ostenderet quam gratiosum atque benignum se exhiberet, quod, cum sibi esset sufficientissimus, fœdus tamen inire cum Abrahamo & ejus posteris a gratia divina lapsis non dedignaretur, eorum cultu atque obedientia nullum emolumentum percipere posset, observante Jobo Cap. XXII. & XXV.

VII. Gratosum autem illud fœdus perpetuum nuncupat Deus, erit לְבְרִית עוֹלָם: quod, si fœderis corticem atque externa signa [Ps. XIII. Gen. XVII.] spectes, non de numquam finienda duratione intelligi poterit. Nota est distinctio עוֹלָם הַזֶּה, *seculi hujus*, quod complectebatur integram Veteris T. œconomiam; hoc sensu heic dicitur

dicitur *circumcisionem fore in carne in fœdus seculi*; & **עולם הנא**. *seculi futuri*, quod ab Apostolo [Heb. II: 5.] dicitur *ὁ μέλλον αἰών*, sive ἡ οὐκ ἐκμενὴ μέλλουσα, ad quod seculum futurum **ימי המשיח** *dies Messia* manifesto pertinere, uberius docuit CHRIST. SONTAGIUS in disert. de **עולם** periodico, & **עולם** æterno. Igitur si spiritum atque substantiam fœderis hujus Abrahamitici spectes, non dubitandum quin perpetuum sit habendum. Ab æterno jam fuerat conceptum, illud quippe sibi proposuerat Deus summe misericors ante jacta mundi fundamenta; & nititur Dei immutabilitate & promissorum constantia, dona enim Dei sunt ἀμεταμέλητα; [Rom. XI: 27.] nititur etiam illud perpetuo Optimi Numinis in Creaturas amore, & misericordia in eos quos sibi elegit numquam exhaurienda.

VIII. At mihi aliquis forsitan objiciet, fœdus hoc unum Abrahamum ejusque posteros spectare, neque illud ulterius quam ad Gentem Judaicam, ex lumbis Abrahami prodituram, extendendum esse; ita inquit Deus ipse **ובין זרעך אחריו לרדתם** & *inter semen tuum post te in ætates ipsorum*. [Gen. XVII: 7.] Verum talis fuit hujus fœderis cum Abrahamo initi natura atque ratio, quod primitus & ante omnia respexerit sane quidem Abrahamum & ejus posteros, quippe qui, relictis gentibus, quas Deus ire sinebat in viis suis, soli, usque ad tempora novæ œconomix erant **סגולה** *περίσσειον* peculium Dei: Cum autem futurus esset Abraham Pater omnium credentium, non sunt excludendi ejus posterii in fide, quos *ex lapidibus*, id est, ex Gentibus, ut Salvator ipse edixit, Abrahamo

hamo Deus aliquando suscitaturus esset. Idcirco in Familia & Posteritate secundum carnem Abrahami perduravit fœdus ad tempus, quocum postquam Judæi Evangelio indignos sese reddidissent, Apostoli se ad Gentes convertunt. Invitati quippe ad magnum illud convivium agni cum accedere nolissent, misit Rex Ministros ad compita viarum, hoc est in mundum gentilem, sibi advocans alium Populum, qui hæctenus Dei Populus non fuerat; & sic oleaster particeps factus pinguedinis oleæ insitione facta in veram oleam. Ita etiam plurium Gentium Pater & ipsorum Regum fieri debebat Abrahamus, allusione haud dubie facta non ad numerosam sobolem Judæorum, non ad illos duntaxat Reges terrestres, qui erant ex ejus posteritate prodituri, sed ad magnum illum totius universi Regem Christum, & ejus subditos sive discipulos, ut expresse affirmat Paulus Gal. III: 16. & recte notavit SAURINUS in disertatione VII. in Librum Genesios [pag. 243. edit. 8.] Hæctenus de fœdere Abrahamitico in genere satis; jam de ejus promissionibus secundo loco dicendum erit.

II.

Magnifica profecto sunt fœderis divini promissæ; & quæ tanta sunt, ut pro ea quam complectuntur gratiarum amplitudine a nobis describi neutiquam possint. Quantus ideo hæc dicendorum campus se aperiat videtis, A. H., in quo decurrendo neomearum est virium, nec præscripti temporis cancelli permittunt: Tanta ergo quanta fieri poterit brevitate hæc evolvere constituimus, sequi duntaxat summa fastigia rerum.

Varie

Varie autem in diversis apparitionibus hasce expressit promissiones Deus optimus; verum omnes ad duas quæ heic repetuntur referri posse censemus: *Et dabo, inquit ipse Deus, tibi & semini tuo post te terram peregrinationum tuarum, omnem terram Canaan in possessionem Seculi; hæc est prima, & si. un ipsis in Deum, hæc est altera.*

possessio igitur perpetua Palestinæ Abrahami posteris promittitur: Quæ vero dici possent de illa regione nostrum non est transcribere: De hoc argumento disseruit magno eruditionis apparatu vir numquam sine laude memorandus HADRIANUS RELANDUS in elegantissimo quod *Palestina* nomine inscripsit opere. Eadem hæc promissio jam facta fuerat Abrahamo in præcedentibus apparitionibus: conjuncta cum ceteris quæ ad hanc referuntur, [Gen. XII: 7. XIII: 15. XV: 17.] atque impleta fuit in duodecim Israël Tribubus, maxime sub Davide, ac Salomone, & deinceps stante secundo templo quando tota Palestina, atque Idumæa a Judæis fuit subjecta. Supponit ergo illud complementum illa seminis multiplicatio sæpius promissa Gen. XIII: 16. XV: 5. XVII: 2. XXII: 16. nec non ejusdem gentis eductio & liberatio a servitute ægyptiaca Gen. XV: 13. 14. Ita terrestribus etiam promissionibus prius obsignabat Deus, utpote sigillo visibili, bona fœderis gratiæ spiritualia, ut hoc modo Abrahamidæ veritatis promissionum spiritualium subinde externa quasi tessera continuo convincerentur, quam scilicet cottidie coram oculis suis constitutam haberent. Eo autem tempore quo Deus cum Abrahamo hoc fœdus inibat, nulla comparebat spes, semen
ejus

ejus aliquando spatiosam eam regionem possessurum, quæ quippe incolas haberet feroces atque bellicosos, qui quidem quantum homines conjectura attingere valebant, vix sedibus suis pellerentur. Nec major aderat spes totius tandem occupandæ Cananitidis, cum modicus Abrahamidum manipulus in Ægyptum translatus duro mox servitutis jugo premeretur. Sed reduxit Liberator Israël manu potente *peculium* suum in terram promissam, ut eo modo certitudinem promissionum divinarum, ex terrestrium implemento ita colligerent, ut nullus eis dehinc dubitandi locus superesset, spirituales etiam suo tempore complendas esse.

II. Porro promittit Deus Abrahamo ipsiusque Posteris *se fore eorum Deum*. His autem paucissimis verbis nitide ea omnia addicuntur Abrahamo, quæcunque miseris mortalibus egregia, magnifica, atque salutaria proponi aut promitti possunt: Complectitur itaque hæc promissio omnes alias quas & fecerat & in posterum facturus erat Abrahamo & ejus nepotibus. Quibus verbis pollicetur, terrena atque cœlestia bona omnia, & primo patrocinium adversus omne malum omnesque inimicos, cum ait se fore *clypeum ejus* atque defensorem [Ps. III: 7. 8.]; secundo, *mercedem amplissimam* [Gen. XV: 1.] & eximii pretii *μισθοδοσίαν*, quum Deus non sua tantum bona, quorum est ditissimus, *יהוה לך*, Deus fortis, & sibi *sufficiens*, verum & seipsum, utpote omnium fontem honorum ei addicit, atque fruitionem Sui, ut Entis summi beati in gratia & gloria [Heb. XI: 16. Matth. XXII: 31. 32. Plenus ideo sensus hic est, Deum
omni-

omnipotentem atque summe misericordem omnia in foederatos collaturum esse beneficia cum terrestria, tum spiritualia ac æterna; Deum velle regere, tueri, ducere, & clypeo suo defendere populum illum, ex lumbis Abrahami oriturum, ita ut gens illa hactenus impura, peccati sordibus maculata, sed fidelis facta, sibi promittere possit Deum fore ejus justitiam, & daturum ei Redemptorem atque Sospitorem, cujus lytro essent ex potestate Satanæ liberandi, eumque ipsos esse justificaturum, Spiritu suo sanctificaturum, & post hanc vitam glorificaturum, ut hæc docte exhibet *Stephanus Le Moine* Disert. ad Jerem. XX: 3. 6. *de Jehovah Justitia nostra.*

Antequam ad alia progrediamur eorum est tangenda opinio, qui hoc munificentissimum gratiæ foedus ita enervant, ut ex maximis Abrahamo factis promissionibus nil ferme remaneat quam umbra & species. Verum enimvero sunt Judæi qui ad terrestria hæc omnia crasse referunt: Ita solent, quibus Mosis velamen caput & oculos nube quasi spissa contegit. Sunt tamen alii etiam cordatiores sanioresque, qui altiora sapiunt & Abrahamum non multarum tantum Gentium Patrem ex Judæis nascendarum secundum carnem asserunt, verum etiam Gentilium per fidem eum sectantium, quod ex oblatione primitiarum colligunt, ut scite notavit SCHUCKFORTIUS, [libro citato] nec non Epitomator Interpretum Anglicanorum in annotationibus gallicis in hunc locum: Fecit id etiam jam a nobis supra laudatus SAURINUS. Ita Abrahamus est Pater credentium, typus benedictionum, in quo habituri essent benedictionem

ctionem posterī [Gen. XII: 2. 3. Rom. IV: 11. & Gal. III: 6. 7. 8.] Ita semen promissum denotabat non tantum Isaacum ex matre sterili, atque Patre pæne emortuo nascendum, verum etiam Christum, semen illud jam in protevangelio annunciatum, nec non fideles omnes ex eo novam habituros nativitatem [Gen. XXI: 12. Gal. III: 16. Rom. IX: 8.] Denique sic multiplicatio seminis promissa notabat multitudinem filiorum spiritualium, ex Judæis & Gentibus fidei addictis, sicut liberatio ægyptiaca significabat Ecclesiæ redemptionem, & Canaan typus erat cælorum. Nunc percipi potest quam inepte etiam hoc fœdus gratiæ explicet infelix Socini propago, ad terrestria, & promissiones in hac terra accipiendas cuncta hæc referens. Horum sententiam pro more sequutus JOANNES CLERICUS, qui ad numerosam sobolem & populi Judaici amplitudinem divinas promissiones Abrahamo factas, quam ad spiritualem benedictionem per Christum fœderis gratiæ mediatorem referre maluit: ac si verba *fiam tibi & semini tuo in Deum*, tam exili beneficio in hac vita percipiendo continerentur. Nostrum non est hos homines longo sermone erroris convincere eorumque mancas, frigidasve explicationes refutare: Factum id dudum, & veritas in altissima luce collocata est; id præsertim egit Celeb. FABRICIUS Leidenſis Professor in dissertatione *de vocatione Abrahami ejusque obedientia*, ad quam idcirco Auditores P. remittimus. Hæc de promissionibus divinis per fœdus Abrahamiticum declaratis dicta sufficiant.

III.

Ad tertiam igitur nostræ lectionis partem ven-
tum est, in qua fœderis illius postulata, sive præ-
cepta nobis sigillatim exponenda erunt. Enim-
vero hactenus hoc fœdus est *μονόπλευρον*, quate-
nus est solius Dei, salutem gratuito homini offe-
rentis, ut victores de victis, domini de servis,
liberatores de asseris, aut emptis possunt & so-
lent gratiose disponere. Fit autem hoc fœdus *δι-
πλευρον*, sive *mutuum*, quando homo juxta fœ-
deris postulationem adstipulatione semet ipsum
obstringit ad amorem, ad fidem, ad obedientiam,
ita ut illis qui excipiunt fœdus *dederit hoc jus ut fi-
lii Dei sint facti, nempe iis qui credunt.* [Joh. I: 12.]
Ita stipulationem fœderis expressit ipse Deus; *tu
ergo fœdus meum servato, tu inquam & semen tuum
post te per ætates suas:* [Gen. XVII: 9.] Quibus
verbis in memoriam revocat Abrahamo quæcun-
que ipsi antea præceperat, quæ summam sunt
recensenda:

Jussus fuerat Abrahamus egredi e Patria & cog-
natione sua, quanquam ignoraret quo eum du-
cturus Deus, ita ad sui abnegationem, & divinæ
voluntati consecrationem dirigebatur Patriarcha;
& illud etiam est præceptum a fœderatis omnibus
perpetuo observandum. [Gen. XII: 1. Luc. IX:
59. - 62.] Qui igitur Dei fœdus observare sata-
gunt, etiam carissima abjicere debent, ut divinæ
vocationi morem gerant.

È Patria idolis dedita Deus avocaverat Patriar-
cham, ita quoque monebatur Deum solum ha-
bendum pro Rege, & unico Domino suo, at-
que

que unice colendo, abjectis omnibus aliis Numi-
nibus, quibus ceteræ Gentes se ad Idololatriam
adduci passæ fuerant. Omnes ergo fœderatos,
fœdus custodientes, decebat Deum colere so-
lum, missis omnibus superstitionibus, quæ jam
ubique fere Religionem fœdaverant.

Postulat porro fœdus divinum ut fœderati om-
nes gratissima agnoscant mente, & animo reco-
lant immensa illa beneficia, quibus Provida Dei
cura eos præ ceteris omnibus totius terrarum
orbis incolis inactaverat. Fœdus ergo custodire
non possunt nisi gratum testentur animum, Deo
fœderato propter beneficia atque promissiones lu-
culentas obedientiam & fidem præstando.

Præceperat etiam Abrahamo Deus *ambulare co-
ram Numine* [Gen. XVII: 1.] id est sanctitati stu-
dere, præcepta moralia sancte servare; non tan-
tum requirebat summus ille Legislatoꝝ, cordium
scrutator, ubique præsens, atque omnia inspe-
ctans, externam obedientiam, verum sanctimo-
niam internam, quæ animi motiones intimas di-
rigit; Igitur qui fœdus servare studet, mentis eti-
am & cordis, atque totius vitæ sanctitati assidue
studeat necesse est.

Denique præceptum *non timendi* acceperat Ab-
raham [Gen. XV: 1.] quod manifesto comple-
ctitur fiduciam & fidem secure in Deo acquiescen-
tis; promissiones ideo divinas haud dubitantes
exspectare tenebatur; jubetur ergo, ut fœdus ser-
vet, fidemque habeat in futurum illum Servato-
rem orbis, qui ex semine suo aliquando ortum

ducturus erat, & qui verbo atque spiritu gentem sibi propriam rectorus, atque illuminaturus, & ab omni purgatam peccato translaturus esset in cœlestem gloriam, cujus terra promissa typus erat.

Ex his jam videtis, A. H., quod postulata Fœderis gratiæ sint fides, amor Dei, & vera resipiscentia, licet alio sæpe nomine indigitata sint, pro & linguarum diverso genio, & œconomiarum diversa natura. Longum etiam heic esset enarrare, quomodo qui Pelagianorum vestigia premunt hocce fœdus gratiæ enervent, nullam justitiæ Christi, per solam fidem acquirendæ, rationem habentes, & meritum ex pacto, quod soli fœderi operum conveniebat, non ex fide suspendentes, quoniam nunquam intelligere volunt quanta bona addicat Ecclesiæ Deus promittens se for. fidelibus in Deum: Verum aliter horum hominum fides esse nequit, si sibi constare velint, quum doceant, ex Pelagii placitis, in quibusvis sufficientes ad credendum & divina præcepta servanda vires superesse, unde manifesto conficeretur, quemque per se absque gratia sanctificationis, & sine merito Christi servari posse; quorum errorum cum refutatio facili opera deduci queat ex quovis systemate Theologiæ, ex experientia cujusque propria, atque ex evidentissimis Scripturæ Sacræ effatis, diutius ei non immorabimur brevitati studentes: sed mos hic illorum est, qui ingenio suo plus quam divinæ revelationi tribuunt.

IV.

Ad quartam & ultimam orationis nostræ partem devolvimur, qua hujus fœderis Sigillum sive
sacra-

sacramentum, *Circumcisio* videlicet describitur. Hæc sunt Dei ad Abrahamum verba: *Hoc est fœdus meum, quod servabitis inter me & inter vos, atque inter semen tuum post te, circumcidi vobis omnem marem,* זאת בריתי המול לכם כל זכר.

De ritu Circumcisionis multis agere angustiores præscripti temporis limites non sinunt; fecerunt id dudum omnes, qui de antiquitatibus Veterum Hebræorum erudita nobis Volumina reliquere: Memorarunt enim de ritibus externis, de ministris, de tempore, aliisque circumstantiis; plæraque compendiose habet TH. GOODWINUS in *Mose & Aarone* Cap. I. Libri VI. cum annotationibus uberrimis J. GOT. CARPZOVII. Duo tantum attingemus, unum de origine atque institutione illius Sacramenti, alterum de sensu mystico, *δηλωσει πνευματικη.*

I. De origine circumcisionis multa disputantur, atque maximam fere partem eorum quæ de his dicenda sunt occuparunt, præter viros jam laudatos SAURINUM, SCHUCKFORTIUM atque EPITOMATOREM Hagensem, Auctores etiam HISTORIÆ UNIVERSALIS doctissimi, quæ ex Anglico Sermone gallica & germanica civitate fuit donata [Tom. II. p. 112. gallic. edit. 4.] Quæritur autem num hic ritus jam ante Abrahami tempora fuerit in usu? HERODOTUS [Lib. II. Cap. XCI. & CIV. & XXXVI.] docet ἀπ' ἀρχῆς apud Ægyptios circumcisionem fuisse cognitam, ut & apud Colchos, & ab Ægyptiis ad Phœnices ac Syros transiisse. DIODORUS SICULUS [Lib. I.] ex usu Circumcisionis communi Colchos &

Judæos deductos putat ab Ægyptiis. CELSUS etiam ORIGENI objicit [Lib. I. Orig. contra Cels.] Judæos ab Ægyptiis hunc ritum mutuatos esse. His cupide acceptis SPENCERUS [de legibus Jud. ritual. Lib. I. Cap. IV. p. 74. seq. uterque edit. Lips.] & qui eos presso pede sequitur JO. CLERICUS id agunt, ut probent circumcisionem jam ante Abrahami ætatem fuisse in usu. Res est notissima, quod SPENCERUS, vir alioqui eruditissimus, id annis sit ut asserat, potio-rem cultus legumque a Mose Judaico Populo præscriptarum partem, ex ritibus & sacris Ægyptiorum manare. Dicendum quod res est; Spencerum equidem plurima Pentateuchi loca novo feliciter lumine perfudisse; Verum res est etiam in vulgus nota, quod plurima Sacra Judaica ex sacris Ægyptiorum fontibus satis infeliciter explanare fategerit; dum obtorto collo sæpe ad rem suam rapit quæ omni probationis ex antiquitate profana destituuntur. CLERICUS vero in suo ad hunc locum Genesæ commentario affirmare minus ausus est quod hunc ritum Abrahamus ab Ægyptiis acceperit: Sed hoc saltem credit, quod Patriarcha in Ægypto circumcisionem viderit familiarem, & quod hac re motus eo lubentius hunc ritum a Deo receperit, ut haberet externum aliquod ex mandato divino Symbolum accepti fœderis. Eos solide refutavit SAM. BASNAGIUS in exercitationibus Historico-criticis ad Baronii annales [A. XXXV. num. XXIX. p. 118. seq.] & H. WITSIUS in Ægyptiacis [lib. III. Cap. VI. pag.] Eandem tamen sententiam in scenam revocavit TINDALIUS in libro cui titulum fecit *Christianismus mundo cœvus*, cui & calculum suum addidit D.

D. MIDDLETON in Epistola ad D. WATERLANDUM [Vide Bibliothecæ Britannicæ T. I. part. II. An. 1733. pag. 328. seq. & 346. seq.] Omnia sane quæ a viris doctissimis afferuntur ut commentum suum fulciant, tanti non sunt ponderis, ut ad eorum partes accedamus, quod, quantum confido, ex sequentibus manifestum fiet.

Manifestum primo quidem gratis & absque sufficienti auctoritate ritus & sacra Ægyptiorum Hebræis esse antiquiora manifesto supponi: Desunt enim illa antiquitatis monumenta, quibus hæc probari possent. Nam perdita dudum fuere omnia illa Ægyptiorum testimonia, atque libri, ex quibus solidum aliquod peti posset argumentum, quæ fuerit vel Abrahami, vel Mosis temporibus Ægyptiorum religio, & ritus sacri; atque certe omnes illi Scriptores ex quibus adversarii argumenta & conjecturas colligunt mille saltem annis post Mosem vivere; suntque insuper sublestæ fidei, & ipsi fatentur aliquoties nihil se admodum comperti habere de prima hac antiquitate.

Secundo si circumcisio ab Ægyptiis ad Abrahamum defluxisset, Deo sane quidem aliquid esset adscribendum, quod de Ente sapientissimo ne cogitari quidem potest. Voluit enim Deus hoc modo secerni Patriarchæ prosapiam a reliquis Gentibus; jam autem id neutiquam factum fuisset, si circumcisio ante tempora illa apud ceteras Gentes obtinuisset. Dicendum ideo esset mutuato ritu a familia Chami Deum potius Familiam sibi dilectam cum ceteris confundere voluisse. Erat tamen circumcisio signum fœderis quod Deus pan-

gebat cum Abrahamo solo, exclusis aliis, atque ideo sigillum beneficiorum quæ ei priva esse debebant, exclusis omnibus reliquis terræ incolis.

Ex eo etiam tertio aperte colligimus, tempore Patriarcharum vicinis Populis non usitatum fuisse circumcisionem, quia Israël filii suam noluerint sororem in matrimonium dare homini Gentili, qui circumcisus non esset, ut legitur Gen. XXXIV: 14.

Addendum quarto, quod TACITUS hunc ritum domesticum Judæis faciat, atque referat Judæos ab Ægyptiis, & omnibus aliis Gentibus ritus ac sacra diversa habuisse. (Hist. Lib. V. Cap. V.)

Observando quinto, omne præsidium illorum qui Judæos circumcidendi ritum ab Ægyptiis mutuo petiisse statuunt, in HERODOTI solius auctoritate situm esse: Cujus tamen testimonium in tradendis rebus antiquis admodum est suspectum, quicquid ad illud defendendum acute comminiscatur HENRICUS STEPHANUS. Imo ipsæ Ægyptiorum traditiones, quibus gesta atque fata Populi Dei plurimis fabellis conspurcarunt valde sunt dubiæ, ut id variis probavit rationibus Cel. PERIZONIUS in *originibus Ægyptiacis* (pag. 336. seq.) In ipso etiam HERODOTI testimonio plures occurrunt errores. Dicit Colchos atque Ægyptios ab initio communem habuisse circumcisionem, quod parum est accuratum, cum Colchi fuerint Coloni ex Ægypto, quod probavit Vir Summus SAM. BOCHARTUS in libro eruditissimo cui *Phæg* nomen dedit (Lib. IV. Cap. XXXI.), quos tamen

tamen ex decem tribubus, quos transtulit Salma-
nasar, oriundos asserit GROTIUS. Porro HERO-
DOTI locum si attente inspiciamus, videbimus
quam splendide sibi contradicat: Cum enim asse-
ruisset Ægyptios auctores esse, qui Æthiopibus
hunc communicassent ritum, palinodiam canit in
sequentibus, cum addit, quod incertum sit an
Æthiopes ab Ægyptiis, an vero hi ab illis desum-
pserint, ex quibus HERODOTI fluctuatio mani-
festa est.

Notandum denique non omnes homines, ne-
que communem plebeculam, at solos Sacerdo-
tes fuisse circumcisos apud Ægyptios; neque ipsos,
teste PHILONE Religionis ergo, sed ex rationibus
munditiei, fœcunditatis atque sanitatis. Hinc
profecto nullum dubium, si omnia Veterum testi-
monia conferamus, & ideo quod est veritati con-
sentaneum eliciamus, circumcisionem in Ægy-
ptum a Josepho fuisse translata & sequenti tem-
pore in sacris etiam Ægyptiorum introductam fuis-
se: Et hic ritus Abrahamidis præscriptus, post
quatuor circiter secula, quam Ecclesiæ visibiles
extra Abrahami familiam sensim ad Polytheismum
defecissent, Ecclesia in Israël quasi conclusa fuis-
set, universale hujus Sacramentum factus est. (Joh.
VII: 22.) Multæ vero Gentes ab Abrahamo ex
Agare vel Ketura ortæ, diutius circumcisionem
quam veram religionem retinuerunt.

II. Hæc de origine circumcisionis, restat ut
sensum ejus mysticum aperiamus, ne quis putet
nos illorum accedere partibus, quibus asserere lu-
bet, Deum nil aliud hoc Sacramento indigitare

quam ut appenso aliquo Genti Judaicæ nudo sigillo Populum suum ab aliis gentibus secerneret. Frustra sane quæreremus spiritualem significationem usumque moralem hujus ritus, si quod somniavit HERO SIBERSMA verum esset, Deum nempe Abrahamo circumcisionem in pœnam congressus cum Hagare ancilla injunxisse, quam pœnam postmodum sanctissimum Numen pro im-
 mensa erga suos misericordia in signum fœderis converterit. Missis his commentis dicimus, circumcisionem fuisse ab ipsa institutione signum fœderis atque sigillum justitiæ, quod his verbis declaravit ipse Deus והיה לאות ברית. Hujus etiam rei testem habemus Paulum qui Rom. IV: 11. σημεῖον τῆς περιτομῆς memorat, & idem signum σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως appellat. Signum ergo circumcisionis non est nudum signum, sed ejusmodi, quod signaculum sit *justitiæ fidei*. Ita quoque Judæorum Magistri quorum verba collegerunt docti viri. Hinc hoc Sacramentum bonorum fœderalium gerebat imaginem. Fatebantur quippe per carnis ablationem Hebræi suam impuritatem, a qua mundari non possent, nisi carnis accederet ablatio, una cum cordis mundatione, quæ ideo impuritas vocatur *præputium cordis*, & *cor præputiatum*, עדלת לבנכם, & לבנם הערל, [Lev. XXV: 41. Deut. X: 16. Jer. IV: 4. IX: 26.] Hinc etiam absque dubio signum hoc membro genitali incisum, ut originis labem declararet, cujus resectione regeneratio atque sanctificatio denotabatur teste Paulo Col. II: 11. Ex his facile videmus quomodo illa V. & N. T. loca sint exponenda quæ de spirituali circumcisione loquuntur. Hinc etiam patet quid sit circumcisio cordis, aurium,

aurium, labiorum, [Exod. VI: 12. Deut. XI: 16. Joh. VI: 10.], quid tandem circumcisio non manibus facta. [Rom. II: 25.] Circumcisio illa cordis nuncupatur etiam intrinseca, qua cum cruenta Sponsoris nostri morte habemus communionem, ut hæc latius exponit Cel. HONERTIUS in *Theologia typica & emblematica*. [pag. 152.] Triagitur summæ sanctæ nostræ Religionis capita circumcisione præfigurabantur, nostra miseria, redemptio, & gratus animus, ut scite & vere probatum dedit H. WITSIUS œconomix fœderum lib. IV. Cap. VIII. Ceterum quæ de circumcissionis finibus, atque diversis destinationibus varie dicta sunt, magno eruditionis studio collegerunt Historiæ Universalis Auctores jam laudati, ad quos iterum remittimus ne semper actum agere videamur.

EXPOSUIMUS jam, A. H., quæ ad partem Exegeticam, Philologicam, atque Theologicam thematis nobis præscripti pertinere videbantur, veritatesque occurrentes, ut jubebamur, contra dissentientes vindicavimus. Nostri adhuc dum esset officii ea subjungere quæ ad usus practicos & paracleticos pertinere possunt. Fiet vero id omni brevitate, cum præsentis temporis ratio, ac exercitii natura non permittat ea pro arbitrio exponere. Illa ergo indigitasse sufficiet, quæ ad quatuor vel quinque capita referri posse censemus.

Ex dictis manifesto patet scopum operum Dei inde a Lapsu Adami ad nostra usque tempora, imo ad finem mundi esse gratiosam declarationem de lapsu genere mortalium per Christum redimendo, quod ut ut per Salvatorem & ejus Apostolos,

ita olim tempore Patriarcharum fœderis gratiæ nomine insigniebatur. Nec alia olim mens Dei quam hodie. Tempore quippe antiquissimo יהוה אל שרי fieri voluit Deus populi sui, Rex, atque Redemptor. Numen illud nullius rei indigum cum lapsis mortalibus fœdus misericordiæ inivit ut salvarentur qui ad illud vera accedunt fide. Eadem itaque gratia, eadem fide, eodemque fœdere salvi fuere Patres. Fœdus illud per Christum nobis apertum atque annunciatum est illud ipsum fœdus æternum, quod licet montes vacillarent, & colles subruerentur, perire tamen nequit. Pangit fœdus hoc cum homine peccatore tota Sacrosancta Trinitas, quæ pro respectu œconomico varia beneficia confert, ut sacræ paginæ abunde testantur.

Gratissimo itaque animo in Deum atque Christum gratiam oblatam nobis, qui sumus ex posteritate Abrahami secundum spiritum, amplecti debemus Misericordiam Optimi Numinis, & immensam Christi Θεωργίας charitatem ex intimis cordis recessibus sincere collaudantes pro tot & tantis, quibus nos indignos maclaverat beneficiis. *Jehovam celebrate quoniam bonus est, quia in seculum benignitatem ejus predicabunt redempti Jehovæ quos redemit ab angustia.* Ps. CVII: 1. 2. Ps. CXI: 1. seq.

Cum vero hujus fœderis communio alia sit interna alia externa, ne putemus nos qui in externa communione, ut olim Judæi Abrahamidæ, sumus constituti, ad bona fœderis acquirenda sufficere posse. Hic erat, heu! nimium communis Judæorum error, quo plures decepti periere;
est

est hæc etiam eorum hallucinatio, qui hodie Sacramentorum participes sunt non vero sanctitatis Christianæ, magis externis ritibus, quam internis studentes virtutibus. Enimvero fœdus illud gratiæ internum & mysticum apud solos residet fideles, qui Deum timent, & qui mente ac fide cum Capite atque Mediatore Christo sunt conjuncti: Hi soli beneficiorum fœderis participes fiunt, quæ sunt peccatorum remissio, justificatio, sanctificatio, obsignatio in hac vita, & cœlestis gloria in altera. Eheu! quantum bonum! amicitia cum summo bono, & augustissimo Numine ita esse conjunctum in hac terra, & spe certa videndi Deum de facie ad faciem in altera.

Nostrium idcirco est, F. in Christo lectissimi, ad id perpetuo attendere, ne nos criminibus & inobedientia tanto beneficio reddamus indignos: Nostrium est omni studio, omnique virium contentione ad id unice attendere, ut assidua divinorum præceptorum observatione tales nos exhibeamus quales nos esse decet; atque omnibus iis gaudeamus characteribus qui futuros gloriæ hæredes constituunt & ornant.

Impellant ergo nos, atque suscitent ad perpetuam præceptorum, quæ fœdus a nobis requirit, observantiam, nostræ dignitas vocationis, sanctimonix atque emendationis necessitas, suavissima vitæ præsentis in præstatione officiorum tranquillitas, virtutum, quas a nobis, ut fœderatis exigit Christus, & facilitas & pulchritudo, denique præmii nobis in gloria æterna proposita magnitudo & excellentia.

Ad

Ad immensum sane pelagus, mihi jam in litore constituto, remigandum esset, si omnia consecrataria & beneficia ad consolationem in vita & in morte ex fœdere manantia vobis, A. P., enarrare inciperem. Norunt illi, quam sint beati, in tenebricoso hoc terræ ergastulo, qui interna hujus fœderis bona suavissime sentiunt: Prægustant quippe jucundissima cœlestis gloriæ præludia; atque sunt in diem redemptionis obsignati; norunt cum Apostolo cui crediderint, certiores facti se esse cœlestis gloriæ candidatos, atque in morte ad thronum agni transferendos; cui sit laus, honos, & gloria in secula. Amen.



NOVA